

Esse virum sensit, nomen genitricis amatæ  
Exhibet uxori. Bino qui germine factus (1)  
Continuo genitor, diversis nuncupat orsis :  
Atque Cain hic nomen habet, cui junctus Abelus.  
Innocuas hujus servabat cura bidentes,  
Ast alius curvo terram vertebat arato.  
Hi cum perpetuo ferrent sua dona Tonanti,  
Dissimiles fructus sensu suadente dedere.  
Nam prior uberibus fuerant quæ prosata glebis,  
Obtulit; ast alius miti se devovet agno,  
Exta manu sincera gerens, adipemque nivalem ;  
Confestimque placet Domino pia vota tenui.  
Quod propter gelida Cain incanduit ira.  
Quem Deus adloquio dignatus, talibus insit :  
Dic mihi, si rectum vivas, et noxia cernas,  
Degere non possis contracto a crimine purus ?

A Desine mordaci fratrem disperdere sensu ;  
Qui tibi ceu Domino subjectus colla daturus.  
Nec tamen his fractus, fratrem deducit ad arva,  
Atque ubi deprehensum deserto in gramine vidit,  
Eliuit geminis frangens (2) pia guttura palmis.  
Quod factum Dominus cœlo speculatus ab alto ;  
Disquirit, quoniam terrarum degat Abelus ?  
Ille negat positum custodem se fore fratris.  
Cui Deus effatur : Numnam (3) vox sanguinis ejus  
Ad me missa sonat, celumque ascendit ad axem ?  
Nosse igitur mansura tibi pro crimen tanto :  
Nam modo quæ maduit germani sanguine terra,  
Inviso maledicta tibi commissa negabit  
Semina, et adsumptis fructum non proferet herbis,  
Torpidus ut multo collidens membra tremore.

## B

## LECTIONES VARIANTES.

(1) *Binos g. g. factos*, cod. Vict.  
(2) *Fraudant*, Morel.

(3) *Nonne Morel.*

## INCERTI AUCTORIS SODOMA.

## CAPUT PRIMUM.

Jam Deus omnipotens primævi tempora sæcli,  
Vindice diluvio, cuneti aboleverat undis,  
Quas cœlum sparsit terræ, maris exspuit æquor ;  
Hactenus, haud liquido pœnas decernere pactus  
Excidio, quoties hyemes induceret aer ;  
Fraenandis varium pluvii mandaverat areum,  
Purpureo et viridi signantem nubila limbo.

## CAPUT II.

Sed recidiva hominum pariter cum gente secunda  
Impietas, iterumque mali nova pullulat ætas,  
Excidio jam non imbræ sortita, sed ignes.  
Sic Sodomum meruit tellus ardentibus uri  
Roribus (4) et finis portendere signa futuri.  
Effera luxuries illic, inimica pudoris,  
Instar legis erat, fugeret quam præscius hospes ;  
Ante vel ad Scythicas, vel apud Busiridis aras  
Exoptans per sacra necem, cæsusque crucem  
Fundere Bebrycium, et Libycas satiare palæstras,  
Anteque vel Circæa novas per pocula formas  
Sumere, quam læsum Sodomis amittere sexum.  
Pulsabant cœlum invidia, conubia mixta  
Incesta parili, generis natura rebellis.  
In sese, læsumque viri cum corpore nomen.  
Tempore sed certo Deus omnia perspeculatus,  
Judicat injustos patiens, ubi criminis ætas  
Cessandi spatium vis nulla coegerit iræ.  
Jamque dies ultrix aderat, duo de grege missi  
Angelico (5) forma juvenes, qui spiritus ambo  
Diva ministerio Domini mandata ferebant,

Succedunt Sodomis; illæ de stirpe piorum  
Transvenia Loth aderat, sapiens, justique colonus,  
Unus erat, meminisse Deum ; solet utilis arbor  
In sylvis latitare feris (6) velut hospita fructu.  
Is tunc pro porta residens (vix moerenia adibant  
Cœlicole) quanquam divinos nescius, ultra  
Advocat, appellat, patrio veneratur honore,  
Hospitioque vocat, longe stabulare parantes ;  
C Eniuis longis precibus, pia pignora mensa  
Officiisque probis studio dispungit amicos.  
Nox requiem dederat, lux solverat altera noctem,  
Et Sodoma in foribus strepitat conquesta rudendum (7).  
Loth contra supplex : Ne vos nunc paeta (8) libido  
Incendat, juvenes, ipsam fædere juventam ;  
Quo luxus genitura vocat ? quo semina frustra ?  
Quo nullæ nuptiant animæ ; non lustra coientes ;  
Non stabulis reduces, non undis subter hiantes ;  
Nec quæ pennarum modulis prope nubila pendent,  
Nec quæ per terram protracto corpore manant.  
Omne genus, luxus genus est ; nisi fœmina conjux  
Omnibus, et nunquam cuiquam nisi fœmina mater.  
Nunc si fas juvenilis habet vastare pudorem,  
Sunt intus natæ bijuges mihi, nubilis ætas,  
D Virginitas in flore tumet, jam dedita messi,  
Digna cupido viris, tulerit quam vestra voluptas ;  
Cedo pater proque hospitibus pensabo dolorem.  
Vulgus ad hæc demens : Quis nam tu, quantus, et  
[ unde ?  
Qui nobis domineris, ait, legesque recondas,  
Transvenia corrector (9) Sodomorum ? duplicat (10) iuras :

## LECTIONES VARIANTES.

CAP. II. — (4) *Flammis Fabric. Pamel. fascibus*  
Cauchiæ, *fontibus* cod. Vict. *fascibus* Morel at *ribus* Baluz. ex cod. Colb.  
(5) *Angelica* duo mss. codices.  
(6) *Feras* alii.  
(7) *Cum lege pudenda* Baluz. ex cod. Colb. cum

*lege rudendam* Vict. *congesta rudentum* Oxon.  
(8) *Pasta* ed. Oxon.  
(9) *Num rector* Baluz. *corrector* cod. Vict. *non rector* Colbert.  
(10) *Ut ingerat* Baluz. ex cod. Vict. et Morel, atque  
*ingerit* ed. Oxon.

Nunc igitur tute ipse lues, quod nostra cupido est  
Pro natis, quoque hospitiibus; satis unus in omnes.  
Dicta et facta simul, vulgi mora nulla furentis.  
Turbidus hiberno ut dum volvitur impete torrens,  
Rivorum in numeros (1) uno pede fertur in omnes (2),  
Si qua illuc arbor rapidis offenditur undis,  
Haud mansura diu; quantum radice licebit  
Crinitas durare moras, ubi subter adesam  
Perdit humum circumfosso cum caudice pendens,  
Huc illuc certam differt incerta ruinam:  
Haud aliter Loth in media vertigine vulgi,  
Nutabat vinci prope jam; sed diva potestas  
Subvenit; angelici juvenes de lumine raptum  
Restinunt tectis, demens sed vulgus ibidem  
Poenarum auspiciis multatur lumine diro (3).

## CAPUT III.

Tunc decreta (4) Dei reserant, dignam adflore poenam  
Pe cœlo Sodomis, ipsum meruisse salutem  
Justitiae titulo. Quin ergo accingeris isthinc  
Festinare fugam, pariterque educere si quid  
Genitis habes? nos exitium jam inducimus urbi.  
Loth generos citus adloquitur, sed dura hominum  
[ mens,  
Credere despexit monitum, risitque timorem.  
Tempore mox quo lux tenebras condescendere tentat,  
Et bicolor cœli facies de nocte dieque est,  
Instabant juvenes Chaldaeam educere gentem  
Ex Sodomis, justamque domum donare saluti:  
Eia, age, Loth, exsurge tuamque adsume jugalem,  
Et natas duplices, atque hinc exterminus ito.  
Præveniens Sodomum poenas (manibus quoque amicis  
Producunt trepidos) atque hæc tibi cetera mando;  
Serva Loth animam, ne visum in tergo retrorsum  
Vertere forte velis, cœptum vel sistere gressum,  
In montem propera. Timuit Loth ardua tardo  
Ereptare gradu, cœlestes ne prius iræ  
Opprimerent, alios igitur depositare portus  
Adgreditur, parvam quam contra asperxerat urbem.  
Huc, inquit, contendendo fugas, vix mœnibus (5) exstat  
Nec longe, nec magna. Illi favere petenti (6),  
Urbis et ipsius pariter gessere salutem.  
Inde Segor vico: nomen vox barbara novit.  
Tunc Loth ingreditur Segor; simul exoritur sol,  
Ultimus ille quidem, in Sodomamque incendia fervens  
Infert; nam totos radios armaverat igni,  
Æmula subsequitur caligo includere lucem  
Cœptans, atque globos confuso intexere cœlo;  
Fumantes coeunt nubes, novus irruit imber,

## LECTIONES

- (1) In numeros, sic Baluz. ex cod. Colb. numerosalii.  
 (2) Amnes, sic Baluz. ex cod. Vict. omnes alii, pro  
fertur, vehitur cod. Vict. Colb.  
 (3) Interdum lumine multant. Morel. et duo codices  
mss. nisi quod Victorinus habet lumina. Interdiu le-  
gendum videtur Baluzio.  
 CAP. III. — (4) Secreta Colbert.  
 (5) Fuga, si certe manibus Colb.  
 (6) Mihi est: favere precanti Colb. Vict. Morel.,  
nisi quod iste legit, favete.  
 (7) Carne reservans cod. Colb. forma Morel, pro  
formam.

A Sulphura cum flammis flagrantibus æstuat æther,  
Exustus crepitat liquidis ardoribus æther  
Hinc habet in falso de vero fabula famam  
Solis progeniem currus optasse paternos,  
Nec valuisse levem puerum frenare superbos  
Ignis equos, arsisse orbem; tunc fulmine raptum  
Aurigam; illicitum planctum mutasse sorores.  
Viderit Eridanus, si qua illuc populus albet,  
Aut si quis plumat senio modulatior ales.  
Hic aliter versæ mœrent miracula formæ.  
Namque comes conjux, heu me, male tum quoqu [legit]

Fœmina non patiens, divina ad murmura cœli  
Audaces oculos nequicquam sola retorsit,  
Nec habitura loqui quod viderit; et simul illie  
B In fragilem mutata salem stetit ipsa sepulcrum,  
Ipsaque imago sibi formam sine corpore servans (7).  
Durat adhuc etenim nuda statione sub æthram,  
Nec pluvii dilapsa situ, nec diruta ventis.  
Quin etiam si quis mutilaverit advena formam,  
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.  
Dicitur et vivens alio jam corpore, sexus  
Munificos solito dispungere sanguine menses.

Nusquam sunt Sodomi, nusquam illorum impia

[Inuent]

Mœnia; cum dominis domus omnis inops ita nusquam  
Tota rogar regio est, hinc atro horrore faville,  
Hincque situ cano cineres incendia signant,  
Occidit illa prior feritas (8) quam prospiciens Loth,  
Nullus arat frustra piecas fulgine glebas.

C Semiperempta etiam si qua illuc jugera letas  
Autumni conantur opes, facile optima sese  
Promittunt oculis, pira, persica, et omnia mala,  
Donec carpuntur; nam protinus indice tactum  
Solvitur in cinerem, fit vana favillaque pomum (9).  
Sic igitur cœlo pariter terraque sepultis,  
Nec mare vivit ibi, mors est maris illa quieti,  
Quod nullus animal (10) per anhela volumina floscat;  
Quodquod etiam patrio nunquam suspirat ab austro,  
Quodque nequit proferre aliquam de gurgite gentem  
Squamigeram, levive cuti vel cortice septam,  
Vel crispam concham, aut duplicei compagine clausam.  
Solum illuc proprio mentitur fruge bitumen,  
Exusti fuligo maris; quod vividus ardor  
Subter stagna coquens, de sulphuris et salis testa

D Temperat inque picem dat terræ hærere marinam.  
Invehitur proprio cum tempore pingue cremata  
Virus aquæ, spumisque cutis super æquora nigra

## VARIANTES.

(8) Occidit illa prior feritas. Obscurus versus, ubi  
si feritas pro fortitate accipiatur ratione carminis,  
constabit sensus, ut feritas a ferendo dicatur. Vox et  
significatio nunc obsoleta. PAM.  
Corruptum locum sic emendari et explicari pos-  
putat editor Oxonensis:

Occidit illa prior species, quam prospiciens Loth  
Deservisse pii fertur commercia fratris.

BALDE.

(9) Vacui favillaque pomi duo cod. mss.  
 (10) Quod nullos animat Colb. Morel. Idque nimis

Textur; appelluntqueis est ea captio mercis.  
Adelinant leves laterum libramine lembos,  
Ut semel impositam doceant concendere venam.  
Nam se sponte levans adnabit mercis ad ora  
Navigii, premiumque dabit pro munere largo,  
Ni plaga contigerit, quam mensi; fementia vestit.  
Ecce aliud monstrum pelagi de clade natatur;  
Cuncta illuc immissa (1) natant; natura recessit

A Mergendis data corporibus; si denique teste  
Luciferam narem insistens, qua spiritus igni est,  
Velificeavit apex, flammæ si flamma perempta est,  
Ibit subter aquas destructio naufragia lucis,  
Haec Sodomum et Gomorru signata in saecula poena.  
Gentibus injustis, queis pectora dura (2) timorem  
Deseruerunt Dei; de cœlo jura tueri,  
Inque unum rerum Deminum spectare docebunt.

## LECTIONES VARIANTES.

*multus* Fabric. et edit. Oxon.  
(1) *Invita* duo cod. mss.

(2) *Corda obdura* Baluz. cod. Colb. *corpora dura*  
B Morel. cod. Victor. Paulo post *jura vereri* Colb.

## ARGUMENTUM LIBRI AD SENATOREM.

## EX CHRISTIANA RELIGIONE AD IDOLORUM SERVITUTEM CONVERSUM; PER JACOBUM PAMELIUM.

Senatorem graviter increpat, quod antea Christianus et  
Consul, Isidis seu Matris Deum sacerdos fieri non sit  
veritus; hortatur itaque ut saltē in senectute resipi-  
scat. Porro cum etiam hic quædam sint Tertullianica,  
ego illi adscribere malui quam B. Cypriano.

## AD SENATOREM

*Ex Christiana religione ad idolorum servi-  
tutem conversum.*

## CAPUT PRIMUM.

Cum te diversis iterum vanisque viderem  
In servire sacris, priscoque errore teneri;  
Obstipui (a) monitus; quia carmina semper amasti,  
Carmine respondens, properavi scribere versus;  
Ut te corriperem, tenebras præponere luci.  
Quis patiatur enim, te Matrem credere magnam  
Posse Deam dici, rursusque putare colendam,  
Cujus cultores infamia turpis inurit?  
(b) Namque sacerdotes tunicis mulieribus iidem  
Interius ritum cultu interiore fatentur;  
Idque licere putant, quod non licet; unde per orbem  
Leviter incedunt, mollita voce loquentes,  
Lapsatosque tenent extenso pollice lumbos,  
Et proprium mutant vulgato crimine sexum.  
Cumque suos celebrant ritus, (c) his esse diebus  
Se castos memorant; at si tantummodo tunc sunt,  
Ut perhibent, casti; reliquo jam tempore quid sunt?  
Sed quia coguntur saltem semel esse pudici,  
Mente frenunt, lacerant corpus, funduntque cruentum.  
Quale sacrum est vero, quod fertur nomine sanguis?

## CAPUT II.

Nunc etiam dicis, quod te non fecerit ætas.

## COMMENTARIUS.

CAP. I. — (a) Obstipui monitus, etc. *Est haec  
phrasis non modo Cyprianica, qua alibi dixit: mens  
obstipuit, sed et Tertullianica, sicut supra videre est  
lib. de Indic. Domini, cap. II, ubi legitur:*

Obtipuere quidem plures, patuisse sepulchra.

*Castigavimus autem monitus, pro motus.*

(b) Namque sacerdotes, etc. *Emendavimus iidem  
pro idem, et paulo post: reliquo jam tempore quid  
sunt, pro corpore. Atqui de sacerdotiis Isidis et ipsa  
Iside, supra non semel satis dictum est. Hic illis tribuit  
tunicas mulieribus, mutatum sexum, lacerationem  
orporis, ac fusionem cruentis, calvitiem, et pedes*

Gallicana papyro redimitos, denique cum sistro faciem  
caninam.

(c) His esse diebus se castos memorant, etc. *D:  
Castis Isidis sacris, vide infra Tertullianum tom. V lib.  
de jejunii adv. Psychicos. Est ante etiam ille versus  
obscurus, et forte mendosus:*

Quale sacrum est vero, quod fertur nomine sanguis?

CAP. II. — (d) Caligatae remota, etc. *De militia  
caligata, vide supra tom. II, lib. de Idolol. cap. 19.  
num. 147. Atqui corripitur etiam a in ablativo qui se-  
quitur:*

Gallica, sit pedibus molli redimita papyro.

Et calor et frigus ; sic hoc, sic illud adurit ;  
 Sic tenebrae visum, sic sol contrarius aufert ;  
 Et pariter ledunt gelidum fervensque lavacrum ;  
 Esca alitur corpus, corpus corruptitur esca ;  
 Vimque suam minuit, si quid protenditur ultra.  
 Denique si sedeas, requies est magna laboris :  
 Si multum sedeas, labor est. Maro namque poeta  
 Pro pena posuit : Sedet (*a*), aeternumque sedebit  
 Infelix Theseus ; semper nocet utile longum ;  
 Prandia longa nocent, jejunia longa fatigant ;  
 Sic nimium sapere stultum facit improba secta.  
 Me dea sic docuit, moderamen amabile, dixit.  
 Sed tu nec sectam modo, nec moderamina curas  
 Mens autem stabilis nullo pervertitur aestu,  
 Ipsaque simplicitas nunquam mala cogitat ulla.  
 Hinc sincera fides aeterna fide fruetur ;  
 Et contra dolus longo cruciabitur igni.

A Elige quid velis, ut digna piacula vites.  
 Sic tamen hanc veniam mereatur creditor inquam ;  
 Ut leve crimen erit, si nolis noscere vera ;  
 Non leve crimen erit, si cognita vera relinquis,  
 Sed te correctum forsitan matura senectus  
 In melius revocat satiatum erroribus istis :  
 Tempus enim mutat mala, digerit omnia tempus.  
 Tunc igitur cum te consulta reduxerit aetas,  
 Disco Deo servare fidem, ne forte bis unum  
 Incurras lapsum, quia vere dicitur illud  
 Qui pedis offensi lapidem vitare secundo  
 Nescit, et incautus iterum vexaverit artus :  
 Imputet ipse sibi, nec casibus imputet ullis.  
 Corrige (*b*) delictum fidamine, corrigere mentem.  
 Sufficit peccare semel, desiste vereri :  
 Non erit in culpa, quem poenitet ante fuisse.

## COMMENTARIUS.

*Castigavimus vero recens* : Consul procedat in urbem, pro orbem. *Et mox* : Haec non humilitas, pro Haec tua humilitas.

(*a*) Sedet aeternumque sedebit infelix Theseus, etc.  
*Istud Virgilianum est ex VI Aeneidos. Prorsus autem*

*lego* : Nec casibus imputet ullis.

(*b*) Corrige delictum fidamine, etc. Fidamen pro fiducia seu spe magis haud dubie Tertullianicam phrasin sapit quam Cyprianicam.

## CARMEN DE JONA ET NINIVE,

## CUM ADNOTATIONIBUS FRANCISCI JURETI.

**ARGUMENTUM.** — *Carmen hoc nunquam antea visum nec lectum, repertum fuit in vetusto codice manuscripto*, cuius copiam mihi fecit P. Pithœus i. c. saluti priscorum auctorum natus. Tertulliani vero genuinum esse opus, duas res docent : primum, quia in eodem v. c. Tertulliano tribuitur, quemadmodum etiam aliud carmen de Sodomis quod postremum olim prodidit in lucem sub nomine divi Cypriani, sed nuper assertum Tertulliano, ex conjectura, a Jac. Pamelio viro muliere lectionis et judicii. Unde obiter confirmabat sententiam ipsius Pamelii, et monebo studiosos ne amplius addubitent de vero auctore carminis de Sodomis. Deinde prorsus redolent phrasim Tertullianicam, ut obscuram et asperam, sic etiam eruditam. Illud dolendum est quod in membranis imperite opus descriptum extitit ab antiquario. Proposui igitur bona fide lectionem v. c. et cunctum emendationes, ne cui sum cum facerem, donec aliud exemplar manuscriptum eruvi possit, unde ceteræ labeculae eluantur. Quod attinet ad titulum, inscribatur in v. c. de Ninive. Sed cum

tota narratio pertineat ad Jonam, visum est inscribere etiam : de Jona. Suspicio tamen est Tertullianum expressisse carmine integrum historiam Jonæ, ut in sacris bibliis exstat.

Post Sodomum et Gomororum viventia funera in se-

[vum,

Et cinerum senio signata (*c*) incendia, pœnæ,  
 Et frustra solis oculis nascentia pauca,  
 Et pariter facti mortem maris (*d*) et solis illic  
 Si quid homo est pœnam mutato corpore servans :  
 Pene alios ignes (*e*) superi decussaret imbris,  
 Urbs æqui justique fuerant (*f*) transgressa Ninive.  
 Nam quis subversæ menti metus omnia vulgo  
 Pœnarum documenta vacant, ubi possidet error.  
 At bonus (*g*), et nostri patiens, et plectere serus,  
 Omnipotens Dominus nullam jaculabitur iram,  
 Ni prius admoneat, durataque pectora pulset  
 D Præsagos agitans angusta mente, prophetam (*h*)  
 Namque Ninivitum meritis mandarat Jonam  
 Præfari exitum Dominus ; sed conscius ille

## COMMENTARIUS.

(*c*) *Cinerum senio signata*. Ita correxi, pro quo crat in v. c. *cinerum senios ignara*. Conjecturam meam confirmat aperte alter ejusdem Tertulliani versus de Sodomis, ubi sic :

Tota rogus regio est, hinc atro borrore favillæ.  
 Inde situ cano cineres incendia signant.

Sic enim obiter lego ex vestigiis v. c. in quo : *hinc de situ; vulgo est: hincque situ.*

(*d*) *Facti mortem maris*. Intelligit Mare Mortuum, de quo ipsem in carmine de Sodomis :

Nec mare vivit ibi, mors est maris, illa quieti.

Pane alio ignes superis decesserat imbris.

(*f*) *Justique fuerant*. Varias recipit conjecturas ; dubium enim est an auctor scripsisset *justique forem*, vel *justi fines*, ut censem idem Pithœus : statim scripsi, *transgressa Ninive pro quo v. c. transgressi Ninive*.

(*g*) *At bonus. v. c. at boni*.

(*h*) *Mente prophetam*. Forte prophetas, ut conjunguntur, cum voce præsagos.